

Ratio praecipua hujus communioris sententiae est, quia per possessionem bonae fidei acquiritur jus insistendi in re donec cum morali certitudine constet rem esse alienam. Inde liquet tali possessori jus esse ut rem retineat, etiamsi eam probabilius alienam esse existimat. (S. Alph. l. 1. n. 35)

Talis possessor poterit rem consumere vel alienare, saltem emptorem monendo de dubio quod circa illam rem vertitur; similiter, non obstante dubio, praescribere poterit. Apparente autem domino, antequam legitimum praescriptionis tempus effluxerit, tenetur reddere id in quo ditior factus est. Cfr. n. 490.

**534. IV. Qui ab initio dubia fide rem possidet**, perseverante post debitam diligentiam dubio, varias habet obligationes pro varia ratione qua hanc possessionem incepit:

1° Si rem abstulit ab illo qui erat dominus vel qui bona fide possidebat, tenetur rem totam priori possessori restituere et damna ex injusta ablatione secuta resarcire: nam posteriori possessio non favet, siquidem numquam bonae fidei fuit. (Lugo, disp. 17. n. 80)

2° Si rem titulo emptionis, donationis aliove simili obtinuit, tenetur ad restitutionem faciendam pro quantitate dubii. Exemplo sicut ii qui emunt vestes vel monilia cum timore probabili ne res istae furto subductae fuerint. Quodsi dominus reperiri non potuit, restitutio haec pauperibus facienda erit, cum res injuste acquisita retineri non possit. Cfr. n. 552. Attamen, si cum dubia fide rem accepisset ab eo qui bona fide rem detinebat, nihil restituere teneretur: nam succedit in jure quod ille bonae fidei possessor habebat, qui in illum transtulit jus totum quod habebat. (Lugo, l. c. n. 81 seqq.)

N. B. Qui coepit mala fide possidere, postea autem probabiliter dubitat num res sua sit, habendus est sicut is qui ab initio dubitabat: nam judicium illud quod falsum fuisse comperitur nullum effectum producere potuit.

**V. Quando, ob culpabilem omissionem diligentiae in quaerendo domino, fit ut ille jam amplius reperiri nequeat**, ex. gr. quia interim mortui sunt testes qui dominum manifestare potuissent, certum est rem possessam esse pauperibus dandam ab eo qui dubia fide possidere coepit: is enim possessori malae fidei merito assimilatur.

Ubi vero res bona fide possideri coepta est, communior sententia, quam S. Alph. (lib. 1. n. 37) veriore censet, possessorem obligat ad aliquam restitutionem pauperibus faciendam: propterea quod ipse culpabiliter dominum privavit spe quam iste ad rem habere poterat, et illa spes erat pretio aestimabilis. Alii tamen AA. ex. gr. Tamburini (Expl.

Dec. de Consc. c. 3. v. Restitutio) opinantur totam rem ab eodem refineri posse, quia, sublata possibilitate dominum reperiendi, nemo habet melius jus quam ille qui ab initio erat bonae fidei possessor et rem certo detinet. Huic sententiae, quae non videtur improbabilis, favet etiam Lehm. l. n. 957 pro casu quo dubitaretur tantum modo indeterminato num res aliena esset, non autem ambigeretur de jure quod determinato alicui homini in illam rem competeret.

#### CAPUT IV.

#### DE INJUSTA COOPERATIONE.

**535. Injustus cooperator dicitur quisquis cum alio est causa damni.** Cfr. quae dicta sunt n. 235 de cooperatione quae adversatur caritati. Simile enim est praesens argumentum, quamvis et discrimina nonnulla oriantur e varia ratione qua obligant virtutes caritatis et justitiae. Ad restitutionem autem quod attinet, non novis principiis hic opus erit, sed jugiter applicanda erunt ea quae supra Capp. II et III stabilita sunt. Obligatio enim restituendi, quae injusto cooperatori incumbit, semper oritur ex injusta acceptione vel ex re accepta, vel ex utraque radice simul. Igitur, pro variis casibus, applicanda erunt quae de restitutione explicata sunt circa injustum damnificatorem vel malae fidei possessorem.

Novem cooperandi modi recenseri solent cum S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 7) his versiculis:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Ex his novem modis sex priores dicuntur *positiva* seu *directa* cooperatio, in hoc sita quod aliquis alium inducit ad injuriam committendam; tres posteriores dicuntur *negativa* seu *indirecta* cooperatio, in hoc consistens quod aliquis non impedit injuriam quam impedire potest et e stricta justitia impedire debet. Praecipua de singulis cooperationibus exhibebimus.

#### § I. DE JUBENTE.

**536. Jubens seu mandans hic intellegitur quicumque alium quacumque ratione inducit ad damnum tertio, suo nomine, inferendum.** Parum igitur refert utrum ille qui alium ita velut instrumentum ad damnum

inferendum adhibet, vera auctoritate in eum polleat necne. Similiter parum refert quo medio usus sit ut alium ad damnum inferendum induceret, utrum metu an spe mercedis, praecepto an precibus. Hoc essenziale est ut inter utrumque intercesserit mandatum, i. e. contractus quo quis officium vel negotium suscipit exsequendum in gratiam alterius seu ejusdem nomine. Potest autem mandatum etiam tacite dari, puta si superior coram subditis suis conqueratur quod nemo injuriam sibi factam ulciscatur, ut coram aulicis suis de S. Thoma Cantuariensi conquestus est Henricus II. (Ball. P. n. 132 seqq.)

Nullatenus autem inter mandantes reponendus est qui approbat seu ratum habet damnum sine praevia conventionione patratum, ex. gr. a servo suo.

#### Obligationes mandantis.

**I.** Mandans tenetur principaliter ad reparanda omnia damna quae alter vi mandati tertio intulit. Nam eo ipso quod damnum suo nomine vult fieri, assumit sibi onus restituendi, ortum ex opere quod in ipsius commodum fiet; exsecutor autem, cum mandanti tamquam instrumentum subordinetur, secundo tantum ad restituendum tenetur. Idem dicendum esse patet de iis damnis quae cum executione mandati moraliter conjuncta sunt ita ut vix potuissent vitari.

**II.** Mandans non tenetur ad reparanda damna quae mandatarius intulit, sponte mandati limites transgressus, vel ex errore quem, moraliter loquendo, cavere potuisset. Ratio in promptu est: mandans in haec damna efficaciter influxisse dici nequit. Aliter vero dicendum, si talia essent adjuncta ut hunc excessum vel errorem vitare moraliter non potuisset exsecutor.

**III.** Mandans a damno restituendo excusatur quando mandatum ante illius executionem revocavit et haec revocatio, damno nondum illato, exsecutori innotuit. Si enim is, tali revocatione cognita, nihilominus damnum infert, puta ut recipiat mercedem promissam, id jam soli ejus malitiae tribuendum est. (Lugo, disp. 19. n. 24)

Ubi vero mandans revocavit quidem mandatum, sed revocatio quamcumque ob causam, puta ob litteras interceptas, exsecutori, ante damnum illatum, non innotuit, tenetur ad damni compensationem: idem dicendum de casu quo revocatio innotesceret quidem exsecutori, sed ex errore judicaretur non serio facta. Ratio est, quod in utroque casu damnum efficaciter e mandato consequitur. (Lugo, ib. n. 26)

**IV.** Mandans per se non tenetur ad reparanda damna quae mandatarius in exsequendo mandato perpessus est: qui enim libere negotium

gerendum suscipit, simul quoque in se assumit executionis pericula. Excipe tamen: *a*) si mandans se ad talem indemnitate praestandam obligaverit: — *b*) si mandatarius vi vel metu ad negotium suscipiendum coactus est, puta servus quem dominus gravibus minis cogit ad damnum inimico suo inferendum.

#### § 2. DE CONSULENTE.

**537.** Consulens hic dicitur qui, motivis veris vel apparentibus, alii suadet ut aliquid injustum faciat, vel modum quo fieri possit docet, vel etiam precibus aut promissionibus movet. Supponitur autem numquam suadere ut suo nomine damnum inferatur: secus enim fieret mandans.

#### Obligationes consulentis.

**I.** Consulens tenetur ad reparandum damnum ad quod inferendum alium consilio suo formaliter injusto induxit. Ratio est, quod cum moveat efficaciter ad hoc damnum inferendum, illius causa moralis censendus est. Ad hanc tamen restitutionem secundo tantum, seu in defectu damnificantis, obligatur: is enim, cum nomine proprio agat, est damni auctor principalis.

Si vero consilium injustum daretur ei qui jam esset ad malum inferendum determinatus, cessaret obligatio restituendi: nam in hoc casu consilium jam nequit dici efficaciter influxisse in damnum secutum. Similiter dicendum de eo qui consulit ut tali potius quam alio modo vel citius damnum inferatur, nisi per accidens hujusmodi consilium auxisset damnum vel etiam totius damni causa fuisset, puta quia si diutius expectatum esset, alii malefactorem impedivissent: tunc enim restituenda esset a consulente illa pars damni in quam efficaciter influxisset.

Si duo simul eidem consulunt, ex. gr. ut furtum patret, isque consilio obsequitur, uterque ad restituendum obligatur: quia uterque efficaciter in furtum influxit. (Lugo, disp. 19. n. 12)

**II.** Consulens non tenetur ad compensanda damna quae alter in exsequendo consilio forte passus est. Nam scienti et volenti non fit injuria. Excipe tamen casum quo alterum adeo fraudibus et sophismatibus circumvenerit ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit: ita enim ejus actio jam non esset voluntaria. (Gury, I. n. 678)

**538. III.** Generatim a restitutione excusatur consulens qui consilium suum, antequam damnum inferatur, revocat, allegatis rationibus de se idoneis ad pravi consilii influxum elidendum.

Etenim vis prioris consilii eliditur per rationes oppositas, praesertim ex fide vel naturali lege desumptas : quod si iis cedere nolit damnificator, damnum propriae ejus malitiae unice adscribendum est. Ita Ball. P. n. 140 et satis probabile existimat S. Alph. n. 579. Contradicunt tamen plerique, ut Lugo (disp. 19. n. 37), quia, si nihilominus alter damnum infert, censendus est id facere propter influxum motivorum commoditatis vel utilitatis quae consulens in opere iniquo manifestavit : haec enim motiva sunt velut arma quibus alium ad homicidium instruxisses ; licet postea peteres ne iisdem uteretur, semper causa moralis homicidii maneres.

Satis convenit consulentem non excusari a restitutione per retractationem, si damnificatori ostendit modum quo patrare possit, ex. gr. furtum quod, sine illa notitia, patrare non potuisset. In hoc enim casu recte applicatur similitudo modo allegata armorum quae alii ad nocendum data fuissent. Ut in eodem vere efficax censenda esset retractatio, oporteret ut executorem a damno inferendo cohiberet, ponendo obstaculum vel monendo eum cui malum immineret. (Lehmk. I. n. 1005)

IV. Si quis consulit minus malum ei qui secus majus inferret, fere convenit inter AA. consulentem ad restitutionem non teneri, quando consulit damnum minus eidem personae inferendum ; quando autem consulit ut damnum alii inferatur quem damnificator non intendebat, plerique eum ad restituendum obligant. (Lugo, disp. 19. n. 47 ; S. Alph. n. 565) Nihilominus probabilis est sententia hanc obligationem negans. Nam consilium hujusmodi conforme est caritati, quae postulat ut volenti majus malum inferre, suadeam minus, et ut potius impediam damnum plus quam minus passuri. Ideo damnum passus rationabiliter invitus esse nequit erga consulentem, sed tantum erga damnificatorem. (Vasquez, de Scand. a. 1. dub. 2. n. 14 ; Turrianus, de Fide, disp. 95. dub. 6 ; Ball. P. n. 144)

539. Praeter consilium supra definitum, quod a quibusdam AA. impulsivum vocatur et proprie ad cooperationem injustam pertinet, habetur **consilium doctrinale** : quod consistit in declaratione data de alicujus actionis, puta contractus bonitate aut malitia, valore vel invaliditate, etc. (Marres, l. 2. n. 89) De obligatione e tali consilio orta ad reparanda praesertim damna efficaciter ex eo secuta, haec sunt tenenda :

I. Qui *officium gerit* quo ad consilia danda designetur, ex. gr. confessarii, advocati, notarii, si consilium nocivum dederit mala intentione vel ex imperitia graviter culpabili, tenetur ad compensanda damna inde secuta tum consilium petenti, tum tertio, puta ei quocum consilium

petens bona fide contractum fecerit. Ratio est, quod consilium petens jus strictum habet, ob munus a consulente susceptum, ut is peritus sit et moralem diligentiam in consilio dando adhibeat, et utrumque adesse prudenter praesumere debet.

Similiter ad restituendum obligantur talibus officiis fungentes si, temeritate graviter culpabili, omittunt inquisitionem ad casus difficiliore necessarium.

II. Qui hujusmodi *officium non assumpsit*, generatim excusatur a restitutione pro damno quod consilium petenti illatum est, nisi dolose peritiam affectet ita ut alter fraude circumveniatur. Nam, excepto fraudis casu, consilium sequens illius de cujus peritia ipsi non constat, sponte se damni periculo exponit. Attamen etiam hujusmodi consulens tenetur ad compensandum damnum quod ex ejus consilio illatum sit tertio, dummodo hoc periculum laedendi innocentem, saltem in confuso, praeviderit.

III. Qui consilium nocivum, *sine gravi culpa theologica*, dedit, tenetur ex justitia ad illud retractandum : quod si, nulla justa causa impeditus, omisit, ad damnum compensandum tenetur. At si consilium sine gravi incommodo retractare nequit, ab omni restituendi onere eximitur. Cfr. n. 513.

### § 3. DE CONSENTIENTE.

540. Consentiens hic intellegitur qui, consensu vel suffragio suo, efficaciter concurrat ad jus strictum alterius laedendum, Exemplo sint judex vel juratus cum aliis injustam sententiam ferens, deputatus iniquam legem suffragio suo stabiliens, etc. Consentienti applicanda sunt generalia principia de injusto damnificatore posita, cum et ipse damni causa moralis existat.

Una difficultas hic enodanda manet : quandonam consentiens censendus sit damni secuti efficax causa fuisse. Jamvero in hunc finem haec statui possunt :

1° Si omnes simul injustum suffragium ferunt, ex. gr. schedulis secretis, assurgendo, etc., omnes pariter ad damnum compensandum tenentur. Nam omnes ex aequo concurrunt ad actionem *moraliter unam* e quo oritur damnum.

2° Si suffragia successive proferuntur, tenetur consentiens ad restitutionem quando iniqua suffragia *ex conspiratione* dantur, puta quia ita convenit inter alicujus factionis membra. Neque excusatur eo quod

suffragia ad damnum inferendum sufficientia jam prius emissa erant : nam conspiratione etiam in illa emittenda influxit.

3<sup>o</sup> Ad restitutionem in simili casu etiam tenetur consentiens quotienscumque suffragia revocari possunt, donec suffragatio completa sit : quia damnum tunc nondum est illatum, cum pendeat non solum a prima prolatione suffragii, sed etiam a perseverantia in illo ; quare adhuc efficaciter in damnum influitur. (Lugo, disp. 19. n. 18)

4<sup>o</sup> A restitutione non excusatur consentiens eo quod praeviderit sufficientia suffragia secutura esse ad damnum inferendum. Nihilominus enim damnum *reapse* infert. (Lugo, l. c. n. 19)

5<sup>o</sup> Quando suffragia sunt irrevocabilia, consentiens, ex. gr. legi injustae sancienda, peccat quidem contra justitiam, sed restitutione non tenetur, si ejus suffragio jam praecesserunt suffragia damno inferendo sufficientia. Ratio est eum, in hac hypothesisi, non esse causam efficacem damni quod jam illatum supponitur. (Lugo, l. c. n. 17) Hoc autem valet etiam quando suffragia secreto dantur, si forte constare potest jam suffragia sufficientia praecessisse. Exemplo sit qui inter 30 suffragatores vigesimus suffragium fert et postea, apertis suffragiis, certior fit duos tantum iniquae sententiae non consensisse : sic enim constat saltem 17 iniqua suffragia praecessisse ideoque damnum jam fuisse illatum quando suffragatus est. (Ball. P. n. 145)

6<sup>o</sup> Non tenetur ad restituendum qui suffragium injustum efficaciter revocat, antequam damnum inferatur. Ratio patet.

7<sup>o</sup> Nec teneretur ad restituendum qui suffragium dedisset in rem injustam, quando hoc esset unicum medium avertendi majus nocentem. Cfr. n. 538. Hoc etiam prorsus licitum esse potest, ex. gr. deputatis, dummodo non agatur de re quae absolute sit intrinsecus mala, et protestatione declaretur ea quae minus recta sunt unice admitti ut pejora excludantur. (Lehmk. I. n. 800)

#### § 4 DE PALPONE.

541. Palpo dicitur qui laude, adulatione vel exprobratione ignaviae, alium ad damnum tertio inferendum inducit.

Nullum est inter palponem et consulentem discrimen nisi quod ille consilium suum laude, adulatione et similibus motivis fulcit. Ideo ad restituendum iisdem sub condicionibus eademque amplitudine tenetur ac consulens. Adverte illum damnum verum inferre, etiamsi patratum jam est scelus, ubi praevidet laudes vel vituperia sua probabiliter causam fore ob quam damnificator principalis non restituat.

#### § 5. DE RECURSU.

542. Recursum praebens seu receptans dicitur ille qui vel res furto sublatas recipit vel ipsi damnificatori refugium praebet, ita ut is propterea ad damnum inferendum juvetur vel saltem ad restitutionem faciendam non cogatur.

Si recipiuntur res alienae, contrahuntur obligationes quae possessori malae fidei incumbunt. Si ipse fur receptatur, reparandum est damnum quod ex illa cooperatione praevideatur probabiliter oriturum, ut dictum est de injusta damnificatione. Exemplo sint caupones qui pecuniam a filiisfamilias furto sublatam in compensationem expensarum prodigarum recipiunt vel iis qui furari solent in penetralibus suis locum tutum praebent e quo ad praedandum exeant. Ex ipsa definitione receptantis liquet hoc nomine non venire qui damnificatorem ex amicitia vel misericordia occultant ita ut poenas debitas non luat vel eidem, sine ullius damno probabiliter et determinate praevisto, alia ratione securitatem praestant.

#### § 6. DE PARTICIPANTE.

543. Participans proprie dicitur qui, in ipsa actione injusta, principalem damnificatorem adjuvat. Interdum, sed minus proprie, hoc nomine etiam ille intellegitur qui partem rei alienae detinet : de quo manifestum est eadem valere quae de possessore malae fidei statuta sunt. Qui autem proprio sensu in damno inferendo partem habuit, regulariter tenetur ad compensandum illud damnum in quod cooperatione sua efficaciter influxit. Saepe tamen sat obscurum est quanta pars damni sit huic cooperationi tribuenda. Interdum totum damnum ipsi merito imputabitur, etiamsi per se solam insufficientis sit ad illud producendum, eo quod, conjuncta cum alia simili causa, determinat existentiam effectus quem, negato concursu, impedire potuisset, ex. gr. si quis adjuvat furem ad auferendam arcam quam neuter solus ferre posset. Saepius tamen, quando causa est de se insufficientis ad totum damnum inferendum, neque ex conspiratione agitur, cooperans tenebitur tantum ad partem, prudenti arbitrio, pro quantitate influxus, determinandam. (Ball. P. n. 158)

Interdum participans ab omni restitutione excusatur nempe quando cooperatio, materialiter ab ipso praestita, ob causam sufficientem, licita evadit. Quae exceptio ut intellegatur, hic inquiri solet quandonam liceat participare vel universe cooperari materialiter actioni qua alteri damnum infertur.